Hollandi Nænia ſuper ſtatu Politico Anni 1700, Electô Rege Hiſpaniæ Duce de Anjou Gallo.

I

Dies iræ dies illa
Solvet foedus in favilla
Teſte Schelda, Tago, Scylla.

II.

Quantus tremor eſt futurus
Dum Philippus eſt venturus,
has Paludes aggreſſurus.

III.

Tuba mirum ſpargens ſonum,
per unita Regionum
Coget omnes ante thronum.

IV

Mars ſtupebit et Bellona
dum Rex dicet, redde bona,
poſthac vives ſub Corona.

V

Miles ſcriptus adducetur
cum quo Gallus unietur
unde Leo ſubjugetur.

VI.

Hic Rex ergo cum sedebit,
vera Fides refulgebit,
Nil Calvini remanebit.

VII.

Quid sum miser tunc dicturus,
Quem Patronum rogaturus?
Cum vix Anglus sit securus.

VIII.

Rex invictae potestatis,
Depressisti nostros satis,
Si cadendum, cedo fatis.

IX

Posthac colam Romam pie,
Esse nolo causa viae,
ne me perdas illa die.

X.

Pro Leone multa passus
ut hic staret, eras lassus,
tantus labor non sit cassus.

XI.

Magne Rector liliorum,
Amor, timor Populorum,
parce terris Batavorum.

XII

Dum Hiſpanum domuiſti,
Luſitanum erexiſti,
Mihi quoq; ſpem dediſti.

XIII

Preces meæ non ſunt dignæ,
Sed Rex magne fac benignè,
nè tuorum cremer igne.

XIV

Inter tuos locum præſta,
ut Romana collam feſta,
atq; tua canam geſta.

XV.

Confutatis calor brutis,
Patri nato reſtitutis,
redde mihi ſpem ſalutis.

XVI.

Oro ſupplex et acclinis,
Calviniſmus fiat cinis,
Lachrymarum ut ſit finis.